

stol. *De Synodo diæces. lib. 7. cap. 65. § 2.*  
 (68. Exemptio Capituli Cathedralis in eo præcipue sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem Canonicum, sine duobus de Capitulo adjunctis, ad normam Trident. *sess. 25. c. 6. de reform.* quamvis Episcopus sine adjunctis potest illud visitare, ex Trident. *sess. 6. cap. 4. de Reform. Benedict. XIV. De Synodo diæces. lib. 8. cap. 4. §. 8 et lib. 13. cap. 9. nov. edit.*

(69. Capitulum Sede vacante non potest in usus proprios convertere muletas pecuniarias, et compositiones delinquentium, ut sæpius a Sacra Congregatione decisum est; *ibid. lib. 10. §. 4. nov. edit.*

(70. Capituli extinctio non inducit suppressionem Cathedralis Episcopalis. Bened. XIV. *tom. 2. Const. 35. incip. Notum tibi.*

(71. Capitularibus Vicariis in Regno Neapolitano prohibetur concessio Litterarum Dimissorialium pro prima Clericali Tonsura, aliisque Ordinibus, etiamsi annus a die vacationis Ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate S. Congr. Clem. XI. p. 3. *Bull. Epistol. 2. et 3. S. Congr. Episc. et Regul.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Ad potestatem Capituli *Sede plena* refertur jus condendi statuta. (73. At hæc quoad statuta a Capitulo condita recepta est distinctio. Aut agitur de statutis, quibus quid cautum est in correctionem juris communis, et ad eorum validitatem opus est auctoritate Summi Pontificis, quippe qui derogare unice potest juri communi. Rota in *Bisacien. Admissionis ad participationem super manutentione 30. Aprilis 1745. §. 9. cor. Illustriss. Caprara, et in Hildesimen. Manutentionis 17. Mart. 1749 §. 18. et 4. Julii ejusdem anni 1749. §. 12. cor. R. P. D. Elephant.*

(74. Aut disseritur de statutis, quibus licet nihil dispositum sit contra jus commune, tamen vel aliquid jussum est, quod tendat in detrimentum Episcopi, vel immutatus est status universalis Ecclesiæ, et vim ea habere nequeunt, nisi munita sint auctoritate saltem Episcopi. Rota in *Osnaburgen. Optionis 13. Januarii 1730. §. Nullam, cor. clar. mem. Millino.*

(75. Aut demum disputatur de statutis, quibus nec jus commune correctum est, nec Episcopi jura sunt læsa, nec status universalis Ecclesiæ immutatus est, sed aliquid tantummodo præscriptum, quod Ecclesiæ servitium concernat, et citra auctoritatem alicujus Ecclesiastici Superioris obligant talia statuta. Rota in *Majoricen. Juris amovendi Musicos 4. Febr. 1729. §. pro eo et in d. Osnaburgen. Optionis 13. Januar. 1730. d. Nullam, utraque cor. clar. mem. Millin.*

(76. De potestate Capituli, *Sede vacante*, mire inter se variant Doctores. Sunt qui tenent, Capitulum Sede vacante, omnia facere posse, quæ sunt ordinariæ jurisdictionis, nisi expresse prohibita reperiantur. Auctor *hic num. 19. Zalosowski de potest. Capit. Sede Episc. vacante, p. 1. Corvin. de Person. et*

*Benefic. Ecclesiast. p. 1. lib. 1. cap. 26. num. 14.*

(77. Alii potestatem Capituli Sede vacante ad ea tantum restringunt, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ et necessitatis. Ferosin. *de Potestate Capit. Sede vacante tract. 1. cap. 1. fere per tot.*

(78. Nec desunt qui velint, Capitulum in ea tantum succedere, quæ in jure reperiuntur expressa. Vide hos apud Ferosin. *d. tract. c. 1. n. 9.*

(79. Varietas hæc inde nata est, quod in jure Canonico non satis determinatum sit, quo jure gaudeat Capitulum Sede vacante.

(80. Ita vero de potestate Capituli Sede vacante ego cum Bohemero in *decret. lib. 3. tit. 9. §. 29.* sentiendum censeo: « Sede vacante in Capitulum exercitium jurisdictionis Episcopalis cum omnibus speciebus et accessoriiis transit, quatenus hæc in Capitulum transire possunt, nec jurium Episcopaliæ diminutionem, et innovationem contineant.»

(81. Prior limitatio, ut probe monet Bohemerus loco mox citato, excludit jura Ordinibus, quæ ex consecratione fluunt, et functiones, quæ cohærent Archiepiscopali dignitati, immo et illa, quæ ex delegatione Summi Pontificis sunt ad ipsius personam restricta.

(82. Illustrat posteriorem limitationem idem Auctor ibidem pluribus allatis exemplis. Ipsi vero minime assentiri possum, dum §. 26, « Sede ad plures annos impedita, ait, ratio juris postulat, ut Capitulo jus conferendi Beneficia vacantia et ad jus Episcopi pertinentia integrum esse debeat. Neque enim Pontificem ad hunc casum irregularem respexisse, probabile est, quin potius ratio rei Ecclesiasticæ postulat ut potius officium Ecclesiasticum interim conferatur habili, quam fiduciario ad tam longum tempus commendetur. Multoque magis hoc dicendum sit, si per culpam ipsius Episcopi vacantia nata est, forsitan quod suspensus sit, et ipse moram in petenda relaxatione suspensionis committat.» Quomodo enim Capitulo jus esse poterit conferendi Beneficia sede ad plures annos impedita, si *numquam* (inquit Pontifex in *cap. 2. Ne sede vacante aliquid innovetur*) in jure cautum, quod *Capitulum vacante Sede fungatur vice Episcopi in collationibus?*

(83. Dantur Capitula, in quibus deest Cathedralis Episcopalis, et ita Sedes vacans concipi nequit. Hujus generis sunt Capitula Collegiatarum Ecclesiarum. (84. Quoniam vero regi non raro solent hæc Capitula per Decanum, vel Præpositum, cui jurisdictione quædam inferior competit, cum pluribus aliis juribus eminentibus, hinc quæritur, utrum mortuo tali Prælate exercitium jurisdictionis, aliorumque jurium Prælaturæ huic cohærentium, spectet ad ipsa Capitula, an ad Episcopos? Consule Bohemer. *loc. cit. §. 39. et seq.*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(85. Primis nascentis Ecclesiæ sæculis Presbyteri et Diaconi in civitate Episcopali

curam animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constitutebant.

(86. Subsequentibus sæculis paulatim Presbyterorum, Clericorumque numero crescente, cœperunt Episcopi e Clero quosdam eligere, sibi que proprius assignare, quorum consilio et opera Diœcesim suam regerent; quos posterior ætas *Canonicos* Cathedrales tamquam Cathedralis Episcopali propius adhærentes, et eorum Cœtum *Capitulum* Cathedralis vocavit.

(87. Quæ enim primitus per Episcopum cum consilio et consensu Cleri erant secundum Canones tractanda et resolvenda, tandem tractari et absolvi cum consilio vel consensu Capituli, neglecto reliquo Clero, cœperunt.

(88. Verosimile est hoc Jus ad Capitula Cathedralia devolvi cœpisse, quando et Beneficiorum et Dignitatum tituli erecti et separatim ab ordine collati leguntur.

(89. Quia Capitulum Cathedralis ipsum quodammodo totius Diœcesis Clerum repræsentat, etiam prærogativa præcipua gaudet, cæteraque omnia Corpora Ecclesiastica præcedit.

(90. Capitulum Cathedralis tamquam Senatus Ecclesiæ præcedit quoque Magistratum Civilem.

(91. A Patrum descendit traditio, quod in Capitulum Cathedralis, Clerum Ecclesiæ repræsentans, Diœceseos regimen, ipsaque Episcopalis auctoritas, Sede vacante, devolvatur; *cap. 11. et 14. tit. de Majorit. et obedient. cap. unic. Ne Sede vacante in 6. cap. penult. De supplenda negligentia Prælatorum in 6.*

(92. Hinc Canonistæ formant hanc Regulam: Capitulum, Sede vacante, fungitur vice Episcopi, et succedit in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus in Jure expressis, licet etiam non competere Episcopo Jure communi, sed solum ex consuetudine vel statuto sive indulto speciali; modo tamen competant tamquam Episcopo et Ordinario.

(93. Notat Cardinalis de Luca *Disc. 31. in Concil. Trident.* quod, quia Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo et Capitulo, ab illo scilicet tamquam Capite, ab isto tamquam reliquo Corpore, Ecclesiastica jurisdictione penes totum corpus habitualiter residente, exercitio autem in plerisque competente Capiti, consequenter, defecto Capite, jure consolidationis, vel ex jure non *decrescendi*, universa jurisdictio, seu jus Cathedralicum, tam in habitu quam in exercitio, maneat penes Capitulum, tamquam reliquum Corpus politicum, seu intellectuale.

(94. Quapropter ea quæ competunt Episcopis vi suæ jurisdictionis Episcopalis, Sede vacante, competunt Capitulo.

(95. Illud procedit tam in jurisdictione contentiosa et necessaria quam voluntaria et gratiosa. Vide Glossam Pragmat. *tit. de Concubinariis, verbo superiores.*

(96. Quin licet *cap. 20. sess. 24. de Reformat. causæ matrimoniales, et criminales so-*

lius Episcopi cognitioni reserventur, exclusis omnibus inferioribus Judicibus, tamen non intelligi exclusum Capitulum, Sede vacante. ex Quaranta monet Zypæus, quia *non est inferior Prælatus, sed fungitur ipsa jurisdictione Episcopi.*

(97. Quæ vero Episcopo, non ut Episcopo, seu Ordinario suæ Diœceseos, sed in alia qualitate speciali, et quasi extranea attribuantur, in his Capitulum Episcopum non repræsentat, nec ejus vices supplet.

(98. Unde inferitur, quod potestas attributa a Concilio Tridentino Episcopo *tamquam Sedis Apostolicæ Delegato*, defuncto Episcopo in Capitulum non transeat, uti in terminis post alios tradit Fagnanus *ad cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedient. num. 55.* una monens hoc non procedere, si facultas illis Episcopis competat utroque jure, scilicet Ordinario et Delegato; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica.

(99. Capitulum Cathedralis ad exemplum pristini Presbyterii sive Cleri, Sede vacante, fungitur vice *Pastoris*, eique incumbit, curam Diœcesis gerendo, ea omnia facere, quæ Episcopus vi sui officii Episcopalis agere deberet, nisi quædam speciali jure futuro Episcopo sint reservata.

(100. Hinc inter casus specialiter exceptos, in quibus Capitulum, Sede vacante, non succedit, præcipuum esse tradunt Canonistæ collationem Beneficiorum; idque sive competat jure collationis stricte dictæ, sive jure præsentationis, sive jure proprio, sive jure devoluto, modo tamen collatio sive præsentatio sit libera, neque conjunctim cum Capitulo, sed soli Episcopo competat.

(101. Si vero collatio vel confirmatio aut institutio tantum competat Episcopo ad præsentationem Patroni Laici vel Ecclesiastici, vel collatio sit quidem libera, sed spectet conjunctim ad Episcopum et Capitulum, his casibus Capitulum, Sede vacante, Episcopo succedit, et collationem, confirmationem, vel institutionem dare potest, uti communiter docent Interpretes, et communis praxis probat.

(102. Immo si ex aliquo privilegio aut gratia Beneficium spectans ad solius Episcopi collationem, debeatur certæ personæ, verb. gr. nominato Academico, eo casu posse Capitulum aut Vicarium, Sede vacante, conferre tradit Garzias *De Benef. part. 5. cap. 7. n. 73.*

(103. Observant communiter Canonistæ, quod si Episcopus in collatione Beneficii dumtaxat concilium Capituli petere debeat, eo casu non censeatur provisio *simultanea* penes Capitulum et Episcopum; sed ad solum Episcopum spectare, ut proinde Capitulum, Sede vacante, de illo Beneficio disponere nequeat, uti notat Cabassutius in sua Juris Canonici theoria et praxi, *lib. 2. cap. 24. n. 17.*

(104. Cum Ecclesia suo destituta Pastore viduæ ac pupillo comparetur, ideo sicuti alienatio bonorum pupilli interdicta est Tutoribus et Curatoribus, pariformiter alienatio



bonorum Ecclesiæ seu Episcopatus, sive ad mensam Episcopalem spectantium, Capitulo. Sede vacante, interdicta est. Fagnanus, *ad cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedient. num. 58.* et alii ibidem citati.

(105. Ulterius, quia ea quæ Ordinis sunt Episcopalis dependent a caractere Episcopali, qui nec Capitulo, nec singulis de Capitulo communicatur, etiam in Capitulum non transeunt, quæ ab Ordine Episcopali dependent.

(106. Verum, quia non tam Ordinis, quam jurisdictionis est, licentiam impertiri subditis, ut ab alio quam Diocæsano Ordines suscipiant, aut ut Episcopus in aliena Diocæsi, quæ Ordinis sunt, exerceat, hinc est, quod Capitulum, Sede vacante, neque quidem ea quæ Ordinis sunt, perse, sive Vicarium suum exercere possit, tamen vi jurisdictionis ordinariæ per vacationem Sedis ad se devolutæ concedere, ut subditi sui ab alio Ordines suscipiant; *cap. 3. de tempor. Ordin. in 6. vel alteri Episcopo licentiam impertiri, etiam in Diocæsi viduata, quæ Ordinis sunt, exercendi.*

(107. Hanc tamen Capituli potestatem limitavit Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 10. De Reformatione*, « non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras Dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris Communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione aretati non fuerit, concedere. »

(108. Hoc decreto etiam comprehendendi Dimissorias pro prima Tonsura notat Garzias *De Beneficiis part. 5. cap. 7. n. 73.* non obstante declaratione S. Congregationis Cardinalium ad calcem hujus Decreti relata his verbis: *Congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam Tonsuram.*

(109. Post annum vero libera est potestas Capitulo, tamquam vices Ordinarii supplenti, dare Dimissorias, etiam titulo patrimonii vel pensionis, si id Ecclesiæ necessitas aut utilitas requirat, conformiter *ad cap. 2. sess. 21. de Reform.*

(110. De jure communi jurisdictione Episcopi ad Capitulum, Sede vacante, devoluta, eam per se in communi olim exercere poterat.

(111. At cum compertum esset, etiam hic non raro locum habere illud tritum: *Segnius expediunt commissa negotia plures*, declaravit Synodus Tridentina, *sess. 24. cap. 16. de Reformat.* quod, « Capitulum, Sede vacante, Officiale seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. »

(112. Circa quod notandum est, Concilium pro uno eodemque accipere Officiale et Vicarium, juxta scilicet usum plurium Ecclesiarum, et quidem totius Italiæ, ubi refe-

rente Thomassino *De Discipl. Eccles. part. 4. lib. 1. cap. 27. §. 5.* etiamnum hodie Officialis et Vicarius Episcopi solet esse eadem persona, quod tamen non obtinet in aliis Regnis et Provinciis, ubique plerumque solent Episcopi habere Officiale, qui contentiosam jurisdictionem, et Vicarium, qui voluntariam exerceat, qui quidem *Vicarius Generalis* dici consuevit. Quam ob causam observavit Cardinalis de Luca *Disc. 31, in Concil. Trident.* quod in Hispania potissimum constans sit Ecclesiarum consuetudo eligendi in Vicarium, Sede vacante, etiam non Doctorem, indubie quia ibi Vicarius Generalis distinguitur ab Officiali.

(113. Sicuti Vicarius Episcopi omnem suam auctoritatem et jurisdictionem ab Episcopo recipit, eamque juxta limites et formas sibi ab Episcopo præscriptas exercere debet, ita quoque Vicarius a Capitulo, Sede vacante, nominatus, omnem suam jurisdictionem et auctoritatem a Capitulo mutuat.

(114. Licet enim Synodus Tridentina voluerit a Capitulo constitui Vicarium, nihil tamen circa jurisdictionis immediatam devolutionem mutavit, sed eam in terminis Juris communis reliquit, ut quemadmodum de Jure communi tota ad Capitulum devolvebatur, ita et nunc devolvatur, maneatque ipsa jurisdictio radicaliter, etiam constituto Vicario, apud ipsum Capitulum, exercitium vero apud Vicarium.

(115. Hinc consequens est, Capitulo post nominationem Vicarii adhuc incumbere sollicitudinem Episcopalem, in quam successit, neque ab ea constituto Vicario plene exonerari, uti notat Zypæus *Resp. 1. De Sede vacante.*

(116. Proinde tradit Fagnanus *ad cit. cap. His quæ, tit. de Majorit. et obedient. numer. 75.* quod si Vicarius sit in aliqua causa suspectus, providet Capitulum, atque vi jurisdictionis ad ipsum remanentis de causis suspectionis cognoscit.

(117. Quin, si Capitulum det Vicario limitatam jurisdictionem et auctoritatem, reservando sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. Garzias *De Benef. part. 5. cap. 7. num. 30.* cui et Ecclesiarum multarum praxis consentit.

(118. Quandoquidem de ratione Vicarii esse videatur dependere a voluntate et arbitrio constituentis, sive illius, cujus vices sustinet, consequens apparet, Vicarium Capituli, non secus ac Vicarium Episcopi pro libitu et arbitrio Capituli revocari posse, et ita ante Concilium Tridentinum unanimi consensu sentiebant Canonistæ.

(119. At cum hodie ex præscripto Tridentini Concilii Capitulum Vicarium nominare jubeatur, adeoque nominatio Vicarii, vel non designatio non ita sit in arbitrio Capituli, quemadmodum est in arbitrio ipsius Episcopi, hinc etiam penes Episcopum hodie videtur esse liberior revocatio ipsius Vicarii quam penes Capitulum.

(120. Et quidem Synodus Mechliniensis decernit: *Vicarium semel a Capitulo electum*

vel confirmatum postea sine justa et rationabili causa removeri non posse.

(121. Quin et refertur declarasse Sacram Congregationem, Vicarium a Capitulo nominatum removeri non posse, nisi ex causa a Sacra Congregatione Episcoporum probanda.

(122. Ultra Vicarium, cui regimen Ecclesiæ committitur, vult Synodus Tridentina, ut Capitulum, Sede vacante, OEconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum et proventuum curam gerat.

(123. Hanc tamen dispositionem Concilium limitat ad casum, ubi fructuum percipiendorum cura Capitulo, Sede vacante, incumbit.

(124. Unde si Episcopatus Juri Regaliæ sint subjecti, Sede vacante, rerum temporalium administratio, non ad OEconomos a Capitulo deputandos, sed ad officarios Regios spectare consuevit.

(125. Quod dicitur de Episcopatibus subjectis Regaliæ juxta mores Galliæ, simile obtinet in plerisque Episcopatibus Italiæ.

(126. Quemadmodum enim in Gallia proventus Episcopatum huic juri subjectorum cedunt, Sede vacante, Aerario Regis, ita in Italia, Sede vacante, sunt reservati Camere Apostolicæ, iisque colligendis deputantur collectores, qui OEconomos nominare consueverunt, uti notat de Luca *Discursu 31, in Conc. Trid. num. 6.* quæ reservatio verosimiliter profluxit ex quadam specie Regaliæ, quam posteriores Pontifices exercuerunt in Episcopatus Italiæ, præsertim in temporalibus sibi subjectos; cum nulla similis reservatio in commodum Camere Apostolicæ pristinis sæculis nota fuerit.

(127. OEconomi a Capitulo deputati solam custodiam et curam rerum ad Episcopatum spectantium habent; unde instar Curatorum nihil de fundis aut rebus Episcopatus alienare possunt: tenenturque hi OEconomi Episcopo ad vacantem Ecclesiam promotio rationem suæ administrationis, si exigat, reddere; tametsi ex ipso Capitulo fuerint assumpti; potestque eos Episcopus punire, si in officio administrationis deliquerint, etiamsi prædicti Officiales, redditus rationibus, a Capitulo, vel Deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint; uti præcitatum Tridentinum Concilium declarasse videtur.

(128. Vicario Capituli, Sede vacante, attento stylo Curiae et Cancellariæ, non diriguntur dispensationes Matrimoniales, quia de illo Papa non confidit, sed Episcopo viciniore, sive ejus Vicario in spiritualibus generali.

(129. Et si Litteræ dispensationis directæ Vicario seu Officiali Episcopi, exequerentur per Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, deputatum, executio esset nulla, nullumque Matrimonium vigore talis dispensationis contractum. Ita Corradus *in Praxi Dispens. lib. 7. cap. 4. n. 15.*

ADDITIONES CASINENSES.

(130. Capitulum est brevis multorum com-

FERRAR. II.

plexio; sic dictum, quia breviter capiat totam summam. Hæc vox variis significationibus accipitur. (131. Capitula librorum dicta, quod breviter capiant et contineant aliquam sententiam, quasi caput et titulus majoris scripti. (132. Unde Capitula, seu Capitularia dicuntur Canonum Ecclesiasticorum, legumque regiarum Codices, quod per Capitula, seu sectiones digesti et distincti sint, uti legimus in *Chronico Andegavense*, quod *D. Herardus Archiepiscopus generali Synodo in Turonica Civitate habita necessaria sanctorum Canonum Capitula excerpit, quæ firmiter custodienda sanxit.* Præsertim vero Regum sanctiones et decreta nomine Capitulariorum et Capitulariorum appellata sunt, et potissimum ea quæ in publicis Synodis, et Comitibus Episcoporum et populorum consensu ab ipsis Principibus edebantur in iis casibus, qui in legibus deerant; quare distinguuntur ab ipsa lege quasi appendices et additamenta apud Hincmarum Remens. *Opusc. 15. cap. 15: Quando sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt; quando vero per legem non æstimant acquirere, ad Capitula confugiunt, et in Capitularibus Ludovici Pii an. 821. cap. ult. Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ per omnium consensum addenda esse censuimus.* (133. Capituli nomine distinguimus etiam brevem Lectionem, quæ in divino Officio post Psalmos horarum legitur; et dicitur Capitulum, quia ut plurimum in festis sumitur de capitibus, quæ leguntur in Missis. Durand. *Divin. Off. lib. 5. c. 2.* Sumi debent ex Scriptura sacra; sed discordant aliquando a textu vulgato Bibliorum, quia in his Capitulis Ecclesia aliquando utitur Versione Itala, uti etiam Introitus et alia, quæ in Missis cantantur, ex eadem versione desumuntur. Vide Merati *Notas ad Gavanti Commentar.* Hoc Capitulum a Radulpho et Gratiano vocatur Collatio, a nonnullis Capitellum et Lectiuncula, et a S. Benedicto in *Regula capitulo 17.* Lectio. (134. Quantum ad hunc Articulum, Capitulum est collectio seu congregatio personarum ecclesiasticarum, puta Canonicorum seu Regularium, in unum, seu capitulariter congregatorum. Ut quis spectare dignoscatur ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatae sæcularis, aut regularis, vocemque habeat in Capitulo requiritur, ut Divinis Officiis sit deputatus, sacrisque Ordinibus insignitus, atque ad minimum Subdiaconus existat; text. in *Clement. 2. de etate et qualitate*, innovat. per Conc. Trident. *Sess. 22. cap. 4. de Reform.* Hinc vero excipiendi sunt Ordines Militares, utpote Divinis Officiis specialiter non deputati, et Moniales, quæ non sunt capaces Sacrorum Ordinum, et tamen possunt celebrare sua Capitula. Glossa in *cit. Clement. vers. Mancipati.* Insuper requiritur, quod sit Canonicus, vocemque habeat in Capitulo. Abbas c. *Scriptum num. 4. de election.* quia, ut asserit, Canonici tantum faciunt Capitulum, et unum corpus cum Episcopo; *cap. Novit. 4. de his quæ fiunt a Prælati.*

(135. Capituli nomine quoque venit illa Monachorum congregatio, quæ mane fit in



Monasteriis ad Martyrologii, Necrologii, sacræque Regulæ lectionem, culparum emendationem, ac laboris injunctionem, a Regulæ Capitulo, quod in ea legebatur, appellata; ex quo factum est, ut tam ipsa congregatio, quam locus, ubi fieret, ac res, quæ in ea tractarentur, Capitulum nuncuparentur. Martene de antiquis Monachorum ritibus lib. 1. capitulo 5. Tempus Capituli congregandi in Monasteriis duplex erat, post Primam scilicet, et post Tertiam. Primum assignat antiquissimus Ordo conversationis monasticæ, quod suæ Regulæ Chrodegangus Met. Episcopus inseruit. E contra tempus alterum notatur in vita S. Geremari Abbatis Floriacensis n. 15. 2. Signo campanula dato ibant

## CAPPA.

## ARTICULUS NOVISSIMUS.

## SUMMARIUM.

1. Cappa quid. — 2. In collegiatis insignibus concedi solet Canonicis per Sedem Apostolicam nobilior habitus Cappæ cum rochetto. — 3. Per concessionem Cappæ intelligitur quoque concessus usus rochetti. — 4. Hujusmodi insignia concessa fuerunt per Sedem Apostolicam etiam inferioribus clericis. — 5. Si Ecclesia cathedralis non habeat usum Cappæ et rochetti, non debet idem usus concedi Ecclesiæ collegiatae. — 6. Quod limitatur. — 7. Quoties cathedralis habeat ex indulto usum Cappæ et roc-

(1. Cappa est antiquior habitus Choralis, ac proprius Canonicorum. (2. In Collegiatis insignibus concedi solet Canonicis per Sedem Apostolicam nobilior habitus Cappæ cum rochetto, ut tradit Corradus in Praxi Benef. l. 2. c. 14. n. 3. 4. et 14. (3. Per concessionem Cappæ intelligitur quoque concessus usus rochetti; quod probatur a Carol. Dufresne in verb. Cappa, vers. Cappæ Chorales. (4. Non desunt exempla, quod hujusmodi insignia nedum Canonicis concessa fuerunt per Sedem Apostolicam, sed imo etiam inferioribus clericis, ut de usu Cappæ concessio Capellanis Ecclesiæ Ferrariensis ex Decreto S. Congr. 28. Januar. 1606. testatur Barbosa cum aliis. (5. Certum est, quod si Ecclesia Cathedralis non habeat usum Cappæ et rochetti, non solet, nec debet idem usus concedi Ecclesiæ Collegiatae; nam cum majoritas habitus majoritatem personæ designet, juxta Textum in cap. Ut Apostolicæ, de Privilegiis in 6. incongruum est, quod Collegiata nobiliori habitu suam Cathedralis antecellat, ut notat Corradus in Praxi Benef. c. 14. n. 15. vers. Sane, et resolvit Sacra Congregatio in Trojana indulti Cappæ Canonialis 10. Septembris 1701, ad relationem Eminent. D. Card. Coloredi. (6. Sed excipi videtur casus, quod in limine erectionis Ecclesiæ Collegiatae, aliquis Laicus de suis bonis eam dotando desiderasset hunc habitum nobilio-

## CAPUCCINI.

## SUMMARIUM.

1. Ministro generali ord. S. Francisci Capuccinorum, et secundariis superioribus ab eo dependentibus competit in quocunque loco, etiam ubi alii

ad locum Capituli, qui erat claustrum contiguus, ubi procedebant ad actus capitulares, ex quibus a Martene loc. cit. sequentes recensentur: Lectio Martyrologii, Divini auxilii invocatio ad omnes diurnos actus per y. Deus in adiutorium, etc. Lectio Regulæ, cui adungebat Prior, vel cui jusserat ipse, expositionem Capituli prælecti, Lectio Necrologii, cui inserebantur etiam nomina Monachorum alterius monasterii et benefactorum; institutio ac nominatio officialium, quæ, cum Sabbato fieret in Capitulo, non tam ad quotidianos ritus, quam ad eos, qui per hebdomadam eveniunt, spectat; deinde sequebatur culparum publica confessio, et emendatio.

chetti, non potest idem habitus concedi collegiatae. — 8. Quod procedit, si cathedralis et collegiata sint in eodem loco; secus si distent inter se, ita ut uterque clerus non conveniat in functionibus. — 9. Usus Cappæ et rochetti est de regalibus Summi Pontificis. — 10. Cappa et rochetum non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem et ornamentum personarum. — 11. Cappa et rochetum gestari possunt non solum in Ecclesia, sed etiam in aliis functionibus ecclesiasticis.

rem; nam tunc summus Pontifex deferre solet desiderio dotantis, qui ita et non aliter voluit Ecclesiam dotare, eamque erigi facere in Collegiatam, ut apud Carill. decis. 76. num. 12. et seq. et advertit Corradus dicto c., num. 16. (7. Quoties autem Cathedralis habeat ex indulto usum Cappæ et rochetti, seu alium, non potest idem habitus concedi Collegiatae, quia debet esse distinctio inter Canonicos Cathedralis et Collegiatae, tanquam inter majores et minores. (8. Hæc procedunt, si Cathedralis et Collegiata sint in eodem loco; sed si distent inter se, ita ut uterque clerus non conveniat in functionibus, contrarium sustineri posse videtur, nam tali casu cessat indecentia, et incongruentia ob distantiam utriusque Cleri. (9. Usus Cappæ et rochetti est de regalibus Summi Pontificis, et eorum concessio pendet ab ejus absoluta potestate, et ipse solus habet interesse. (10. Cappa et rochetum non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem, gravitatem, et ornamentum personarum, ut tenet Ceccoper. Lucub. Canonic. l. 1. n. 93. (11. Cappa et rochetum gestari possunt non solum in Ecclesia, sed etiam in processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis, cum sit privilegium personale, quod non circumscribitur loco, ut resolvit Sac. Rit. Congr., 19. Augusti 1634. et testatur Ceccoper. ibidem, l. 1, n. 92. et 93.

tertiarii ejusdem ordinis jam reperiuntur, fundare confraternitates. — 2. Tertiarii a capuccinis recepti gaudent omnibus gratiis, privilegiis, indulgentiis, etc., quæ per Apostolicam Sedem tertio ordini fue-

runt concessæ. — 5. Omnes personæ tertii ordinis S. Francisci, sub jurisdictione ministri generalis Capuccinorum communicantur in omnibus indulgentiis confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo concessis. — 4. Quæ vero concessio revocata fuit a Benedicto XIV. — 5. Capuccini longe a suis monasteriis versantes possunt cuicunque sacerdoti approbato peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere, etiam a casibus in ordine reservatis. — 6. Capuccinus ad religionem Hierosolymitanam transiens legatum annum recuperare potest. — 7. Capuccini exsequi possunt testatorum voluntates no-

(1. Declaratur, quod Ministro generali Ordinis S. P. Francisci Capuccinorum, et secundariis Superioribus ab eo dependentibus tanquam veris et legitimis filiis ejusdem S. P. Francisci conveniat, et competat in quocunque loco, Civitate, Provincia, et Regno, etiam ubi alii Tertiarii ejusdem Ordinis jam reperiuntur, erigere, instituere, ac fundare Confraternitates. Sic expresse Clemens XII. Constit. incip. Apostolicæ servitutis Officium, quæ reperitur tum in communi Bullario Romano, edito a Hieronymo Mainardo, tum in speciali Bullario ejusdem Ordinis Capuccinorum. Quæ Constitutio, si ad manus mihi obvenisset ante editionem Bibliothecæ hujus, certe pro consueta mea ingenuitate fuisset adducta, et uti nunc, aliter etiam tunc, juxta ipsam fuisset conclusum.

(2. Hinc Tertiarii a Patribus Capuccinis recepti, gaudent omnibus gratiis, privilegiis, indulgentiis, indultis, etc., quæ unquam per Apostolicam Sedem Tertio Ordini fuerunt concessa, et erunt deinde concedenda. Unde non amplius subsistunt tradita quoad hoc in verb. Tertiarii, Tertiarie, n. 30. per satis de se claram Constitutionem Benedicti XIII. incip. Dilecti Filii, uti reperitur tum in indice, tum in corpore Bullarii Romæ editi typis Mainardi. Posteriora enim derogant prioribus. L. Nam est novum 26. et L. Sed et posteriores 26. ff. de legib. Cap. Licet 1. de Constitut. in 6.

(3. Idem Pontifex Clemens XII. omnibus et sigulis personis Tertii Ordinis S. Francisci, tam intra quam extra claustra, sub jurisdictione Ministri Generalis Capuccinorum degentibus concessit per viam communicationis omnes Indulgentias, quibus fruuntur et gaudent confratres et consorores Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo. Sic in ejus Constit. incip. Sollicitudo Pastoralis Officii.

(4. Ast dictas Indulgentias Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Tertiariis sæcularibus Capuccinis a Clemente XII. per viam communicationis concessas, revocavit Benedictus XIV. Constit. incip. Romanus Pontifex, quæ exstat tum in Bullario ejusdem Pontificis tom. 1, tum in Bullario eorundem Capuccinorum t. VII, pag. 356.

(5. Capuccinis vetitum erat ex Constitutione quadam sui Capituli Generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui Ordinis Confessario, etiamsi longe absent a Monasteriis sui Ordinis; verum Benedictus XIV. die 30 Martii 1742. facultatem fecit singulis eorum Sacerdotibus, et Laicis longe

minando, vel eligendo ad subsidia dotalia, et ad beneficia. — 8. Capuccini exempti sunt a solutione alimentorum pro iis, qui carceribus S. Inquisitionis sunt mancipati. — 9. Capuccini unde dicti. — 10. A quo cœpta eorum reformatio. — 11. Fratres Capuccini ad ordinem S. Francisci de Paula transire nequeunt. — 12. Capuccini non possunt recipere fratres de Observantia. — 13. Possunt vero recipere discalceatos. — 14. Capuccini possessiones et annuos redditus prohibentur habere. — 15. Et armenta. — 16. Et eleemosynas, quæ civilem præbent actionem.

a suis Monasteriis versantibus, ut possent cuicunque Sacerdoti sæculari a suo Ordinario approbato, vel Regulari a suo pariter Superiore approbato, peccata sua in confessione aperire, et ab eo absolutionem obtinere, etiam a casibus in suo Ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint, coram Superiore se sistant, et novam ab illis casibus et censuris absolutionem obtineant. De hac re vide, quæ fusius adducuntur in Supplementis ad verb. Approbatio, art. 2. n. 24.

(6. A Capuccino ad Religionem Hierosolymitanam auctoritate Apostolica translato legatum annum vi Professionis Capuccinæ mortuum, recuperari sancivit Sacra Rota in Januen. Legati 22. Junii 1622. Ex Bullar. Capuccinorum tom. II, pag. 381.

(7. Advertendum, quod Testatorum voluntates Fratres Capuccini, sicuti et alii Minoritæ, exequi possunt, nominando, vel eligendo ad subsidia dotalia, et ad beneficia, ac juvenes ad seminaria. Sic Sac. Congr. Concilii in Papien. Subsidiis dotalis 1731. ex Bullario Capuccinorum tom. 1. pag. 187. ubi refertur integra hæc causa cum sua Resolutione, et egregiis notis. Hinc cum his concilianda sunt quæ adducuntur verb. Testamentum, art. 3. sub num. 53. 57. 58. et 59.

(8. Capuccini declarantur exempti a solutione alimentorum pro iis, qui carceribus S. Inquisitionis sunt mancipati; ex Decreto Supremæ et Universalis Inquisitionis Romanæ, 15 Julii 1732. Vide verb. Alimenta, n. 118.

## ADDITIONES CASINENSES.

(9. Capuccini videntur nomen traxisse a longo et acuminato Caputio, quod ad capitis tegumentum deferunt.

(10. Capuccinorum Reformatio exiit, a quodam cœpta devotissimo Fratre Matthæo de Boschio, Minore observante conventus Montis Falci Ducatus Urbini in Italia, et a Fratre Ludovico a Tenalia, ejusque fratre, patria Foro Sempronio in Marchia Anconitana, tempore Clementis VII. Et mirum est, quod dum per fratrem Boschium Capuccinorum Reformatio in Marchia Anconitana prosequebatur, alias simillimam in Calabria sanctissimi quidam viri inducebant. Anno igitur 1528, Frater Matthæus primo generali Capitulo a quindecim fratribus habito, quibus tantum tunc totus Ordo constabat, electus est Generalis. Quorum reformatorem numerus adeo, brevi spatio, divino favente numine, percrebuit, ut